



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

De confirmatione definitionis. Capvt XXVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

nium gentium, quem illo clarissimo die scelerate vidisti, tum cum omnes Principes ciuitatis, omnes ordinum, atque aetatum ciuium, se non de ciuis, sed de ciuitatis salute ferre censebant.) Huiusmodi definitiones planè graues, & oratoriae sunt.

## De confirmatione definitionis.

## CAPVT XXVI.

*Arist. 1. 7 c. 5.  
πάτων ἔα-  
507 ὄρω, ἀ-  
κακώσασι.*

*Diogen.  
L. 1. 1. c. 1.  
Diogen.*

*Tertull. in  
Apol. c. 1.*

*Cic. l. 1. de  
natura  
Deorum.*

**V**T definitionem suis partibus absolutam facere satis operosum est: Sic inualem refellere facillimum. Vbi enim aliquid improprium, commune, metaphoricum, est assignatum, illud statim aduersarijs magnam suggerit ansam cauillationis. Definierat semel Plato hominem animal implume, bipes, Diogenes Cynicus homo diex, & Academicorum irritor, gallum deplumen, & nudum in mediam Platonis scholam proiciens. *En. homo* (inquit) *Platoniceus*; sic mirifica plerunque ludunt oratores, vbi inanes, & mancas aduersariorum definitiones refellunt, & definitis non conuenire, imò contraria prorsus accommodari posse ostendunt. Sic Tertull. in Apologetico, *Quid hoc mali est, quod naturam mali non habet: timorem, pudorem, tergiversationem, poenitentiam, deplorationem.* Quid hoc mali est, cuius reus gaudet: cuius confusio votum est. & poena felicitas. non potes demerentiam dicere, qui ruinam reus ignorare. Sic Velleius apud Ciceronem lib. de natura Deorum contra Stoicos, qui mundum animantem, immortalem, beatum, & rotundum dicebant, agit cauillatorie. *Nunc autem haec tenui* (inquit) *admirabor eorum tarditatem, qui animantem immortalem, & eundem beatum, & rotundum esse velint, quod ea forma viliam neget esse pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri, vel qua trati, vel conii, vel pyramidis videtur esse formosior. Quae vero vita attribuitur isti rotundo Deo? nempe ea celeritate contorqueatur, cui par nulla cogitari quidem possit. In qua non video, vbi nam mens constans, & vita beata possit insistere, quodque in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit: cur hoc idem non habeatur molestum in Deo: Terra enim profecto quoniam pars mundi est, pars est etiam Dei. Atqui terrae maximas regiones inhabitabiles, atque incultas videmus, quod pars eorum appulsu solis exarsit, pars obri-*

guerit niue; pruinaque; longinquo solis abscessu, quae, si mundus est Deus, quoniam partes mundi sunt, Dei membra, partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Vides quam latus pateat in istis confutationibus campus, vbi praesertim aliquid absurdum est ab aduersarijs prolarum: Continuo orator sua dexteritate trullam faciet de Minerua. Et haec in confutatione totius corporis.

Alias vnum membrum reprehenditur, si quid dictum laxius, si quid strictius conclusum, vt ex definitionis vitij est colligere, si plene reprehendi non potest, vellicatur, distorquetur, durius accipitur.

Sic malignè Caecilij, quae de Dei scientia, & prouidentia dicuntur à Christianis, interpretatur. Deum (inquit) illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre in omnium mores, actus omnium, verba denique, & occultas cogitationes diligenter inquirere, discurrere scilicet, atque vbiq; praesentem: Molestum illum volunt, inquietum. (videtur non posse, nihil cum huiusmodi dictum in Dei definitione) impudenter etiam curiosum: Si quidem astat factis omnibus, locis omnibus intererat: cum nec singulis inferuis possit per vniuersa districtus, nec vniuersis sufficere in singulis occupatus?

Ad cauendas istas illusiones in contentiosis orationibus, vt quae pugnae sunt, & bellorum, argendum sic, & concludendum strictè, colligendum acue: abstinendum similibus, & metaphoricis, ad summum oportet.

*Τὰ σάκκα σάκκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγειν.*

## De partium enumeratione, Loci dignitate &amp; definitio.

## CAPVT XXVII.

**E**A demum est diuinæ naturae perfectio, vt nullius rei indiga, nulla quoque partium congerie ad suae integritatis absolutam rationem concretere possit. At caetera rerum creaturarum genera, vt ab hac simplicitate longè distita sunt, atque remota, sic etiam diuersarum partium nexibus coalescunt, quarum spectata in singulis cognitio, nos ad totius notitiam facili quodam itinere conducit. Quamobrem inter locos partium enumeratio plurimum obinet splendoris, vt quae non modo.